Lat. 7530, fol. 146v

INCIPIT DE PONDERIBUS.

Pondera seu maiora minoribus ac deinde minimis carpere seu maiorem nominibus Omnia minuta concludere per uestigium cuiusdam libelli. poetice quidem elegantiae. sed sophisticae atq; antique diligentiae simplici sermone ducto. Cottidiane sollicitudini et domesticae institutioni. utile atque aptum iudicaui in ponderibus Nisi siquis simbolum usurpet dicere nihil est uel minus obolo uel maius talento. Talentum sexaginta minis quas graeci mnas uocant. constat mina uel mna. centum dragmas habet. quas nonaginta et sex. romana uel itala libra conplectitur.

Libra autem attica. LXXV. dragmas habet. eodem libello [illegible]

Libra quam interdum assem. uocant. deinceps diuidetur.

Libra si unciam detrahes diunces appellatur. quod si sextantem. Idest duas uncias dempseris. deunces redditur. Detracta semuncia, nullum nomen certum relinquid. facit tamen semuncia triplicata. sescunciam. que etiam ipsa sine nomine reliquum assis relinquid. Quadrantem. id est tres uncias si remoueris dodrantem reliquisti quod si triantem uel trientem Id est quattuor uncias trahas.

Octo uncias uel duos trientes bessem uocabis. Septuncem uero quincuncem remoueris semissis. solidi assis. aut librae pars dicesti erit maxima Pars enim dici non potest quicquid supra dimidium extenditur. Librae ergo diunces unciam unam desiderat. Deunces duas. tres besses. Quattuor septunces quinque semissis semissem detrans.

Habet ergo libra semisses duos. trientes tres. quadrantes quattuor. sextantes sex. sexcuncias octo. uncias duodecim. Hinc iam uncia diuiditur. Uncia quae illam in libra partem quam in anno mensis sibi uindicat. tribus siue siclicis quattuor siue sex sextulis siue octo dragmis duillis siue uiginti [illegible].